



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 55. Bellicus utrinque apparatus pro jurium defensione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](#)

cissim vero Leopoldus facta exercitus Sæc. XVII.  
sui recensione die vigesima Octobris A. C. 1609.  
quamplurimos Pistores ac Zythebas  
unacum molendinis ad necessariæ susten-  
tationis commodum in urbem introdu-  
xit, arcemque validis munitionibus fir-  
mavit, & Brendenbendiam in potesta-  
tem suam accipiens præsidio validissi-  
mo munivit, militemque a Cognato suo  
Alberto Archiduce in Brabantia & alibi  
dimissum conscripsit.

§. LV.

*Bellicus utrinque apparatus pro ju-  
rium defensione.*

Haud seigniores erant ambo Principes,  
qui pariter habitu militum suorum  
delectu aliquos quidem trajecto Rheno,  
alios alibi in Juliensem ditionem in-  
vexerunt, ac deliberatione cum Cliviæ  
& Juliaci Ministris habita armis fese &  
militibus, quantum per angustam tem-  
poris moram licuit, instruxerunt, nec-  
non munitiones finitimas, pagosque  
& transitus obsedere, promulgato e-  
dicto, vi cuius Ecclesiasticis quidem,  
ne Leopoldo quicquam subsidii con-  
ferrent, reliquis vero, ne se a Leopoldi  
mandatis deterri paterentur, impe-  
rabant: Huic edicto aliud recta opposi-  
tum Cæsar die vigesima prima Octobris  
pro-

Sæc. XVII. promulgari jussit. Verum legum auctoritas  
A.C. 1609. ritas parum prosuit apud illos, quia  
morum violentia Catholicos opprimere & suam sectam propagare constituerant;  
jamjam Electoris Palatini, Marchionis  
Durlacensis & Wirtembergici Principis  
copiæ, quæ Rhenum trajecerant, Van-  
zenaviam ingressi arcis Præfectum, quod  
deditio[n]em facere recusaret, custode  
mancipant, inde Moltiskeimium excu-  
rentes, excubitores quosdam male  
multant, tandem vero exterorum Pri-  
cipum fœdera sollicitant, obtinentque,  
quippe Franciæ & Daniæ Rex, Batavi,  
ceterique Protestantes Principes, co-  
piosum militem, arma, pecunias, om-  
nemque belli apparatus liberaliter par-  
tim spounderunt, partim subministra-  
runt; Anhaltinus quoque Princeps ex  
Galliis redux fœdus inter Franciæ Re-  
gem, Principes Correspondentes, &  
Hollandiæ Ordines ad exturbandum  
Leopoldum firmaverat; quo comperto  
Cæsar Hohenzolleranum Comitem &  
Elector Saxonie Wolfgangum Mans-  
feldiæ Comitem ad Franciæ Regem ab-  
legarunt, eundem rogantes, ne se Ju-  
liaciensi dissidio ingerere, nec Ducatum  
usurpatibus auxilium præstare vellet,  
quibus ipse respondit, se nihil contra  
Cæsarem moliri, sed duntaxat quos-  
dam Principes veteres amicos in fœ-  
dus

dus & clientelam suscepisse, ut eorum Sæc. XVII.  
jura tueretur, proin rogare se, ne eis A.C. 1609.  
ulla vis inferretur, sed omnia citra bel-  
lum amice componerentur.

## §. LVI.

*Origo Ligæ Catholicæ & unionis  
Evangelicæ.*

Cum ergo adversus Protestantium vio- *Helvicus*  
lentias nec jura nec leges & edicta *Theatr. Hist.*  
quicquam proficerent, imo ipsimet A- *l. 4. p. 113.*  
catholici, ut Judicis severitatem elude- *Carafa*  
rent, duo illa suprema in Imperio Ju- *comm. Germ.*  
dicia, Spirense ac Cæsareum designati *Calmet Hist.*  
novum in Imperio judicium, quod Re- *Univers.*  
ligionis dissidia decideret, erigi postu- *lib. 150.*  
larent, nec futuris ac præsentaneis ma- *Jacob. Maf-*  
lis motibusque comitia aut amica col- *sen. annal.*  
loquia mederi valerent, hinc projecta *Trev. l. 23.*  
ulterioris pacis spe res ad arma spectare  
videbatur, præludentibus Acatholicis  
Principibus, qui jam anno Christi mil-  
lesimo quingentesimo nonagesimo octa-  
vo Francofordiæ, & sequenti anno Frid-  
bergæ convenientes sub specioso liber-  
tatis defendendæ titulo, qualis plerum-  
que factiosorum esse solet, adversus  
Papam, Cæsarem & Catholicos omnes  
primum unionis suæ, quam *Evangeli-  
cam* vocabant, lapidem jaciebant, priori  
autem anno in Aschusiano conventu  
*Hist. Eccles. Tom. LIV.* Cc po-